DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS VII. IANVARII;

M. VRBANO BODINEAV, Regis Christianissimi Medico, moderatore.

An ijdem specie morbi eodem tempore semper judicentur? 922

NATVRA hominis ipsius est viuentis idiosyncrasia, quæ in vniendi spirituum interuentu corpus cum anima certa ratione consistit, & in elementorum quatuor inter se κατ᾽ τὰς ὅλας οὐσίας permixtione. Ex spirituum vberrima copia, firmissima vnio, vis naturæ validissima, longissima vitæ diuturnitas. Non distinguuntur homines nisi peculiari illa temperie, quæ cum actionum omnium & motuum intrinsecum sit principium, partes singulas variis facultatibus instruit & exornat, Cor perenni dilatatione & compressione, sanguinem non in circulum exagitat: Ex cibis chylum præparat in ventriculo, ex chylo sanguinem coquit in jecore & venis, ex sanguine cuiusque partis substantiam fouet, reparat, auget indesinenti, sed indefinito motu. Quod elleborum & cicuta nonnullis alimenta sint, aliis venena: quod viso lepusculo quidam exhorrescant, alij anguibus delectentur: quod non solum voce, scripturâ, pingendi ratione, sed etiam vultu singuli homines discrepent, huic vni acceptum referendum est.

CORPORIS actiones promouere animi officium est: vt autem citò, tardè, expeditè, ægrè, parcè, copiosè fiant, idiosyncrasiæ. Impediri vel expediri ocyùs, segniùs coctiones, excretiones, generationes pro varia externarum rerum conditione constat exemplo leguminum, quæ faciliùs fluuiatilibus aquis, quàm puteanis coquuntur; ab alimentis quoque eupeptis & dyspeptis, euchymis & cacochymis velociores fiunt coctiones, aut tardiores; nec aliunde morbi mitiores fiunt Vere, quàm Autumno; breuiores Æstate quàm Hyeme, nisi externi aëris benignitate; eadem ratione cerealia, sataque omnia modò citiùs, modò tardiùs germinant, adolescunt, maturescunt: sed mutationis cuiusque interior causa idiosyncrasia est, quâ ratione fit, vt qui fluidiorem sortiuntur aluum in adolescentia, pigriorem in senectute experiantur. Mulierum non paucis fluunt purgationes plenâ, plerisque silente Lunâ: hîc tempus ἐφόδου anteuertitur, illic protrahitur. Nihil in homine constans & perpetuum. Vita in vtero quibusdam ante trigesimum, quibusdam post quadragesimum diem. Partus septimo, nono, decimo, vndecimo, nonnumquam octauo mense vitalis. Qui conformantur die trigesimo, non semper mouentur nonagesimo, aut nascuntur ducentesimo septuagesimo, nec in tantarum actionum terminis lex vlla definita.

COCTIONES & excretiones vt inter se diuersæ, sic diuersis temporibus obeuntur; & alia victus ratio hyeme quàm æstate instituitur, quòd illis tempestatibus celeriores contingant, aut tardiores coctiones. Non peræquè omnibus interdicendum cœna, vel concedendum vesperi vberius alimentum. Deiectiones aluinæ nec statæ, nec definitæ. Vrinarum depositionem non ita determinatam in Cynocephalo crediderim, vt diuidendis horis æquinoctialibus suffecerit. In morbis nec perpetuo statâ horâ accedunt paroxysmi, nec definitâ recedunt. Febres acutissimæ non statim primo septenario sæuiunt, aut post tertium mitescunt. Frustra quoque earum solutionem certis quibusdam diebus expectes, cum varia sint πεπασμοῦ tempora, indeterminata humorum secretio, excretio ἀδιόριστος. Religiosæ dierum in morbis obseruationes vt plerumque superstitiosæ, sic sæpenumero noxiæ, & dum impari die Crisis expectatur, agendi occasio præterfluit.

CRISIS opus est naturæ bene agentis ab vtili quod noxium est & secernentis & expellentis; hæc humorem morbi parentem, qualem, quâ parte, quo tempore excludi conuenit, & quantum opus est, è corpore eliminat: rarior illa nostro quàm veterum æuo, non peioris ætatis aut senescentis mundi vitio, sed Medici peritiâ, aut imperitiâ. Qui imperitè venam secat, aut purgat ἀκαίρως, vel illa prætermittit quæ legitima fieri iubet indicatio, irritatis morbi causis & interturbatis naturæ operibus, mortem, non Crisim accersit: at peritus artifex adhibitis initio conuenientibus præsidiis, ita morbi vehementiam obtundit & frangit, vt ea paulatim elangueat, causis omnibus magnam partem excisis, ac vitato discrimine & periculo quod ab exorta per Crises inter naturam & morbum pugnâ videtur impendere. Dum illa coquendis mouendisque feliciter humoribus incumbit, caue ne interpelles aut auertas, quoduis eo temporis articulo exhibitum Pharmacum venenum est. Tum demum opitulandum puta, cùm segniter in coquendo excernendóque humore operatur. Mutuis auxiliis ars & natura ad ægri salutem conspirantes, salutarem εὐφορίαν procurant.

IN prædicenda Crisi Medicus humana sorte superior creditur, in curandis grauissimis affectibus ἰσόθεος. Nulla verborum vis in morbos, nulla septenarij numeri ad Crises. Naturæ officium est post edomitum & segregatum ac sepositum humorem, Crises moliri, sed variis & diebus & hebdomadis: vix tamen ante diem tertium, aut post vigesimum primum effatu digna Crisis obseruatur, ex naturæ vniuersalis præscripto, quæ sese nonnullis legibus addixit. A tertio ad vigesimum primum ampla intercedit temporis latitudo, intra quam variis diebus ab vnaquaque natura particulari præuidente Medico judicantur morbi, pro diuersa ætate, temperie, sexu, viuendi genere singuli peculiarem & sibi familiarem excretionis modum affectantes, die non tantùm critico dicto & impari, sed pari & tyranno; hunc autem vel tempestas, vel rerum non naturalium vsus, vel impendentes casus, vel ipsa morbi conditio ac natura retardant, aut accelerant; vnde varium atque indefinitum redditur Criseos tempus. Dum natura cum morbo (licèt eodem specie) congreditur, & humorem crassiorem, aut tenuiorem: frigidiorem, aut calidiorem: catullientem, aut torpentem: paucum, aut copiosum inuenerit, fuerintque fauentia, vel repugnantia τὰ ἔξωθεν, hâc vel illâ hebdomadâ: citiùs, seriùs: die pari, impari: mane, vesperi: noctu, interdiu: hâc vel illâ horâ conflictum absoluit.

Ergo ijdem specie morbi eodem tempore non semper judicantur.

Proponebat Lutetiæ IOANNES GARBE Laudunensis. A. R. S. H. M. DC. XLIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Quintinus Theuenin.	*M. Tussanus Fontaine.*	*M. Iacobus Theuart.*
M. Carolus le Breton.	*M. Ioannes de Monstrœil.*	*M. Vrbanus Bodineau, Med. Reg. Præses.*
M. Claudius Perrault.	*M. Franciscus Pajot.*	*M. Philibertus Morisset.*